

liberari, qui cum nihil sanguinis in arteriis contineri statueret, totas eas aëre explevit. (Galenus l. c. et in libello: An sanguis in arteriis contineatur.) Eum tamen, huic elastico aëri per pulmones ad arterias commeanti, subtilius quoddam principium adiunxisse, verisimile est. Certe ab Hippocrate id factum esse, loca illa §. II. a nobis allata clarum faciunt.

Hippocrates quidem in libri de carnibus exordio, *Θερμῶν §. VI. Quo suo, id est principio vitali per aërem diffuso, proprietates paene di-* *sensu diuina quaedam natura, huic principio vitali ab Hippocrate tribuntur, et ab aliis?*  
*νοεῖν πάντα, καὶ ὄρεειν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἶδεναι πάντα τὰ ἔοντα, καὶ τὰ ἔσομενα.* Non defuerunt, qui his verbis dei notionem ab Hippocrate funditus tolli existimarent. Hi non intelligunt, omnes ante Cartesium, qui primus veram simplicitatis notionem in philosophiam introduxit, non tantum profanos, sed etiam christianos scriptores, et maxime omnium patres ecclesiae, tum animos humanos, tum ipsam dei naturam, materia quadam circumdedisse; non quod putarent mentis finitae aut infinitae facultates, ipsis materiae proprietatibus comprehendi, sed quia phantasia, incorporeum effingere nescia, in his etiam notionibus dominabatur. Eadem res hodieque multis accidit, dum simplices naturas phantasiae ope sibi repraesentare volunt, quae propter id ipsum, quod simplices sunt, phantasiae ditioni subiectae non sunt. Cum itaque veteres deum, vel mentem humanam, spiritum, ignem, aërem, vel alio huiusmodi vocabulo appellant, non aliud quicquam dicere existimandi sunt, nisi hoc: deum, mentem, in eiusmodi subtili materia viuere atque vigere, eaque vti tanquam quodam instrumento. Quam veterum rationem non satis videtur perspectam ha-